

V H. F. u. u. 72 (2)

ORATIO

HABITA CALENDIS OCTOBRIS

ANNI 1736.

AM. BALTH. GIBERT,

CELEBERRIMO

RHETORICÆ PROFESSORE,

AMPLISSIMO

TUNC RECTORE

UNIVERSITATIS PARISIENSIS.

*Ad Scholarum instaurationem in Collegio
Mazarinæo.*



PARISIIS

M. DCC. XXXVI



MONITUM EDITORIS.

QUOD publici juris Orationem facimus, Amice Lector; quam Calendis Octobris suos privatim ad Discipulos, ipsorum tantum gratiâ, habuit Amplissimus Rector illius temporis, ratio est, quia Rectoris Discipulos esse censemus eos omnes qui Discipuli sunt Universitatis, & cum omnibus communicari decere, quod est ab ipso aliquibus indultum. Dabit veniam Auctor, utpotè publicæ utilitatis Amantissimus, hoc si factum est ipso inconsulto. Movit enim natura operis, ut plura vellemus extare exempla* Orationes edendi.

* Vir Clarissimus D. CREVIER, suo prævit exemplo.



ORATIO

HABITA ANNO 1736.

*Ad instaurationem Scholarum in Collegio
Mazarinæo.*



ULLAM hodiè Orationem afferens ,
pauca solùm ad vos verba converto ,
primæ cujusdam lectionis instar , Amari-
tissimi Rhetoricæ Candidati , recentes
tantummodò Discipulos , ne prorsùs insalutatos di-
mittam.

Variis enim in negotiis quæ Rectorem obsident ,
Magistratu abeuntem , ne modicum quidem spatium
mihi fuit ad cogitandum de Scholarum instauratione ;

& quanquam verecundia me quædam sæpe commovebat, si Schola quæ cæteris monstrat dicendi viam, ipsa muta conticesceret, cùm exemplo, non minus quàm arte debeat alias excitare: omnes tamen facile fatebuntur illud minimè necessarium esse eodem homine præsertim & Rhetore simul & Rectore.

Quænam est igitur ad vos mea salutatio, Adol. Optimi? qualis est ferè Imperatoris benevoli novos ad milites, ut vos hortor ad studendum egregiè quasi ad militandum, meos vobiscum sensus intimos peramicè communicando.

Quippè generosæ mentis sententiam ego amplexus generosam, non alium fortibus viris finem laborum esse existimo, quàm novos labores, quandiù novi supersunt qui ducant ad fortia, quandiù novi, qui ducant ad gloriosa: ita persuasus exemplo, & præsentis & magnifico, primi rerum administri, suam qui juventutem renovat, maximis semper in rebus alacriter laborando, & quod pulcherrimum est, totum terrarum orbem LUDOVICI auspiciis feliciter pace componendo.

Hoc audite, ô Juvenes, & tenete; magnum enim & memorabile præceptum est, non Eloquentiæ solùm,

sed omnis Artis eximiæ , omnisque vitæ : Non alium fortibus viris laborum finem esse , quàm novos labores , quandiù novi supersunt qui ducant ad fortia , quandiù novi , qui ducant ad gloriosa.

Si verum illud esse censetis , sicuti est , & quidem , sicuti decet , animo si comprobatis , adeste charissimi , adeste , vos ut eò ducamus , Deo juvante , quò vultis ; ad Reginam animorum Eloquentiam , quam monstrant , scilicet , non Poëtæ feciùs quos enarramus hoc anno , quàm Oratores. Sin aliter vivitis , aut aliter cogitatis Sed quid ego vos aliter sentire mihi fingo , quos esse omnes , & industrios , & modestos , si non aliqua vox ad aures corporis , certè meus in vos amor interiùs ad aures animi clarissimè insufurrat ?

Quid autem est , tantum à vobis quod laborem exigat ? vel una primùm sapientia , quæ fundamentum est Eloquentiæ : Dicendi enim rectè , sapere est & principium & fons. Vel una deinde animi virtus , quæ sapientiæ comes esse debet , ut pote Oratori necessaria ; cùm sit *Orator vir bonus dicendi peritus , utique vir bonus* , ait gravissimus Autor Quintilianus. Quantas utraque res illa , sapientia nimirum & virtus , sollicitudines habet ; cùm hætenùs pueriliter ferè vixeritis , ut per

ætatem licebat ; jam autem hoc tempus mores alios ;
 aliam vitam postulet , viriliter ut sentiat : Eradican-
 da scilicet , prava quaecumque sunt , cupidinum , con-
 suetudinum , opinionum ; Exuenda levitas , gravitas
 induenda ; Abjiciendus pusillus animus , desidiæ ,
 voluptati , superbiæ , & quæ sæpè præcurrit ætatem ,
 avaritiæ deditus ; concipienda magna mens , magnus
 est sensus hauriendus , honestatis de fontibus & decori :
 Illud Apostoli , quod sæpè commendamus , ut dicere
 valeatis : *Cùm essem parvulus , loquebar ut parvulus , sa-
 piebam ut parvulus , cogitabam ut parvulus ; nunc autem
 vir factus , evacuavi quæ erant parvuli.*

Magna hæc , sed adhuc tamen tantum fundamenta ,
 fastigia sunt , ut adjiciatis cum Apostolo : *Certus
 sum enim , quia neque mors , neque vita , neque futura ,
 neque instantia , neque fortitudo , neque altitudo , neque pro-
 fundum nos poterit separare à charitate Dei , quæ est in
 Christo Jesu Domino nostro.*

Grandis est enim , grandis est honestas , dignitas ;
 majestas Eloquentiæ quam docemus ; magnus animus
 ei substernendus , qui toti se vitæ , tanquam anima cor-
 pori immisceat , ad virtutem constanter retinendam ,
 & ad vitia non fugienda solum , sed fortiter etiam im-

probanda; cùm ejusdem sit hominis, qui improbos probet, probos improbare & odisse.

Atqui diligenter considerandum est hoc Oratoris officium esse, sæpè ut virtutem & justitiam Oratione commendat, sæpè etiam ut eas defendat, atque tueatur: quod sanè dicendo tunc potentissimè præstare potest, cum integritate & innocentia semetipsum commendat. Ejusdem est verò, sæpè agitare vitia atque persequi: Persequi autem quâ ratione poterit, nisi se illa odisse ubivis libero vultu & erecto profiteatur. Debet omninò proinde, ipse vir bonus esse, ut quæ bona sunt & præclara teneat; Debet odisse vitia, illis ne conniveat; Neque fas tamen illum superbum esse, ne insultanter unquam arguat, sed magnâ vi, cum pondere, atque dignitate, ac multum prorsus interest, utrum id ex animo & veritate faciat, an ex arte solùm & probitatis simulatione.

Quorumnam hominum arbitramur has esse consequi tot atque tantas virtutes? Pusillorum, an verò sublimium animorum? avaritiæ fervientium, an decoro atque dignitati? otiosorum, an laborantium? inertium, an strenuorum? ut quod optimum est, illud eligamus, atque teneamus. Perpauci sunt idcirco;

qui quales volumus, Oratores evadant. Destituti, non ingenio, non Magistris, non artibus; sed & moribus, & animi magnitudine, & constantiâ, & labore.

Filioli, quos usque parturimus, donec formetur in vobis, & Orator, & vir bonus, & Christianus, imò Christus, Filioli, quos putatis esse nos? Num fortè vestræ inimicos jucunditatis & oblectationis? Quasi verò Nos, aut rationem ætatis ignoremus, aut necessitatem remissionis, aut conditionem humanitatis. Imò, imò, fatagimus, sumpto sapienter spatio ad animos reficiendos, jucundi omnibus bonis ut sitis ipsi, vestrum ut ingenium omnes propter doctrinam, vestrum ut animum propter virtutem, vestros ut successus propter gloriam, amplexentur nobiscum, deosculentur, favore cumulent & honore. Nostras ideò in hoc omnes convertimus curas atque vigilias, pro nostrâ ergà vos propensione & benevolentia, vestra ut ubique fastidia prævertamus ac superemus; nihil vobis ut arduum sit, omnia vobis ut plana fiant, aut etiam ponantur in proclivi; vepres ut absint quâcumque inceditis, Rosa ut fiat, quidquid calcatis. Et in hoc rursus, quidquid usu & experientia, animi vi, aut robore corporis, quidquid studio & labore pos-

sumus, illud datâ fide hodiè vobis solemniter pollicemur.

Vos alloquor, ô Juvenes, vos, inquam, quorum & industriam antea Magistri cognoverunt, & bonam indolem experti sunt, & virtutem prædicant; Vos, qui jucundam putatis vitam esse nullam, omni labore vacuam; vos quibus optabilior fuit hic Remigialis ad studia reditus, quàm illa sextilis studiorum omissio; Vos quibus sæpenumerò ludus ipse, labor visus est fastidiosus, & labor ipse ediscendi, recitandi, scribendi, ludus fuit perjucundus.

Enimverò quidquid facimus in Rhetorica, quamvis illud laborem desiderat, magnæ tamen (quod solatio est) magnæ est, inquam, in ediscendo jucunditatis. Neque tantum splendidus ille Eloquentiæ fructus & gloriæ in omni parte vitæ, sed studium etiam ipsum umbratile, exercitatioque puerilis vehementer delectat; dum nempe adducitur ad verum Oratio, quasi statua quædam ad imaginem veri, & mirum in modum Statuarius non suo tantum perfecto opere, sed ipso labore suo delectatur; quia manus ejus obstetrix quodammodo educit, sculpendo, ex ære vel è marmore spirantem imaginem, ut possitis intelligere

è vivâ mente vestrâ quid laborando educere valeatis, maximâ cum voluptate.

Hactenùs quidquid dicimus, ad omnes quidem pertinet, qui nos audituri sunt, sed ad vos maximè, Adolescentes nobilissimi, Collegii hujus convictores. Vestrum est enim præcipuè frui commodis & adjumentis, quæcumque possunt hîc omnes, qui docent aut regunt suppeditare, vestri causâ, non suâ, facti omnes & instituti. Vestrum est frui præceptis, institutisque bonarum artium; præceptis, institutisque humanitatis & modestiæ; reverentiæ ergà Magistros, in omnes urbanitatis; præceptis, institutisque potissimum Religionis atque pietatis quæ vobis, sive in Sacello, sive in Scholis, sive alibi, ubi necesse est, nusquam deerunt.

Adhortantur vos utique lux & amœnitas, splendor & fama Collegii, atque etiam ipsi Parietes & Domus universa; adhortatur, inquam, æternum hoc Mazari-næ pietatis & magnificentiæ Monimentum, ut ibi, non fordidè, sed nobiliter educati, non opibus privati cujusquam, sed Domûs ipsius, optimi Fundatoris vota & expectationem de vobis impleatis. Adhortatur tum patrocinium augustissimum benignissimi

Parentis & Regis LUDOVICI; tum Regionum favor insignis Quadrum-virum; Adhortatur *Civitas Litterarum & Scientiae*, id est, Academia Parisiensis, Magistra morum atque doctrinae; Adhortatur pars hujus nobilis, Mater Sorbona; Parentes vos & Patria adhortantur; Professores etiam non minùs in Scholis, quàm cæteri in Collegio Magistri, summus præcipuè Moderator, qui & vigilantissimi omnes, & vestrùm amantissimi, nihil vobis de curâ diurnâ vel nocturnâ quam debent, nihil de horis, vel de diebus, nihil de doctrinâ, nihil de cæteris detrahent, vel defraudabunt, ut digni efficiamini & Regis subditi, & Dei servi, & Academiae Discipuli, Galliae amantissimi.

Tales eritis, si hoc teneatis quod tenere vobiscum omnes etiam alii debent: Litteras nempè ad quas hortamur vos & ipsi ultrò concurritis, bonas, liberales, ingenuas appellari, eò quòd scilicet bonos, liberales, ingenuos Auditores vel exoptent & nanciscantur, vel elaborent atque perficiant. Ac si quod illæ suo nomine pollicentur, id vos industriâ & labore præstabitis, ut fas est, fiet utique quod optamus, nimirum ut vobis honori; Parentibus & Magistris

gaudio ; maximo Regi, Patriæ ac Religioni , magno
fitis emolumento.

Duas maximè tenete propterea è Poëtâ Gallico
sententias.

*L'une ; Que le travail aux hommes nécessaire ,
Fait leur félicité , plutôt que leur misère .*

Et l'autre ; Qu'en Dieu seul on trouve le repos ;
Nam si benè intelligitis , hæc duo sunt , omnis homo ,
quæ proinde retinere vos & pro nostrâ ergà vos be-
nevolentia cupimus , & pro Dignitate etiam Rectoriâ
jure nostro & Universitatis nomine , impensius adhor-
tamur.

